12 - 109

INDEX SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE AESTIVUM

ANNI MDCCCLIII.

A DIE XV. APRILIS USQUE AD XV. AUGUSTI

HABENDARUM.



Praemissa est disputatio de causa Serviliana apud Cic. Fam. VIII. 8 cum mantissa critica in M. Caelii epistolas ad Ciceronem.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

2.3½

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
CONR. HENR. FUCHS D.
CUM SENATU.

M. Caelii Rufi epistolarum ad Ciceronem libellum quamvis fervidi ingenii negligentia passim obscuratum, tamen nec difficultate interpretandi nec verborum corruptela adeo laborare, ut eruditam operam recusare potius quam invitare videatur, jam in Mus. Rhenan. a. 1847, p. 615 monitum exemplisque demonstratum est; quo ut per hanc praefandi opportunitatem rediremus, praeter ipsius argumenti illecebras etiam jucunda scholarum recordatio effecit, quibus ante hoc biennium easdem epistolas in Seminario philologico tractavimus. Quippe quod vix putaramus, ipsa horriduli sermonis asperitas juveniles animos acrius quam tersa aliorum facundia retinuit; quod si vestro quoque in numero essent, Commilitones, qui festivam magistri elegantiam, quam ne in epistolis quidem Cicero deposuit, cum incomta discipuli dicacitate comparare cuperent, ipsi Ciceronianarum epistolarum enarrationi hanc disputatiunculam praemittere visum est, qua quum alios Caelianarum locos, tum imprimis unum, quem docti interpretes prae ceteris tenebricosum existimarunt, ita illustraremus, ut strenue quaerentibus nec lectionum dumeta nec dictionis salebras rectae viae vestigia abscondere intelligeretis. Exstat ille in epistola octava, quam totam fuerunt qui vix dignam haberent, in qua explicanda elaborarent; nos tamen haud scimus an plurimum difficultatis ab ipsis editoribus ortum sit, qui aut nodum in scirpo quaererent aut sermonis proprietatem mirum in modum ignorarent. Mittimus Wielandum, qui §. 9 a planissima sententia ita aberravit, ut, ubi Caelius *Pompejo cum Caesare negotium esse* id est certamen inter hos ingruere scripsit (ut Cornel. Nep. Datam. c. 7: *intelligebat sibi cum viro forti et strenuo negotium esse*), ille interpretaretur: *Pompejus stehe mit Caesar in geheimer Unterhandlung*; sed ne Manutium quidem excipimus, qui §. 4, ubi Caelius *Senatusconsultum factum auctoritatesque perscriptas esse* narrat, *praescriptas* legendo totam rem pervertit. Nimirum *auctoritates praescriptas* senatorum nomina dici arbitratur, qui quum scribendo affuissent, SCto praescribebantur (cf. ad Fam. V. 2), idque et lexicorum latinorum conditoribus et ipsis Ciceroniani sermonis arbitris ita persuasit, ut etiam de Orat. III. 2 quamvis optimis libris invitis ad hunc usque diem legatur, Crassum, *id quod in auctoritatibus praescriptis exstet, scribendo affuisse*. At enim *perscribere auctoritatem* quid sit, ex ipsis, quae Caelius Ciceroni misit, Senatus decretis liquido apparet, quibus singulis in fine adjectum est: *si quis huic SCto intercessisset, senatui placere, auctoritatem perscribi*, id est, quamvis propter intercessionem legitima vi careat, in tabulas tamen pro auctoritate referri; quod quum illo die praeter unum omnibus Senatus decretis acci-

disset, hoc solum Caelius Senatusconsultum factum, reliquas auctoritates perscriptas esse recte prodidit; neque alia Ciceroniani loci causa est, ubi quum major bonorum librorum pars *perscriptis* tueatur, nihil proclivius est, quam ipsi illi SCto, quod in Crassi sententiam factum erat, tribunum aliquem intercessisse eoque facto auctoritatem tantum perscriptam esse. Immo si *praescriptae auctoritates* illi dicerentur, qui scribendo affuissent, Cicero, quantum nos sentimus, bis idem dixisset; sin *perscriptis* legimus, sententia haec est, quamvis illud SCtum per intercessionem tribuniciam irritum factum sit, in Senatus tamen tabulis, ubi auctoritates perscribi solerent, Crassi nomen inter eos qui scribendo affuissent exstare. Nec quae in epistolae nostrae principio Caelius narrat, satis diligentes interpretes nacta sunt; ubi quum Orellius codicis lectionem *quaeris an causa* ferri non posse intellexisset, sane quam audacter conjecit *cur? quaeris; animi causa;* quasi exitus judicii, qualem praecedentia describunt, ad rei quamvis petulantissimi lubidinem atque arbitrium pertinuerit, isque vel animi causa hoc sibi proponere potuerit, ut calumniam maximo plausu ferret! Nempe *quur* absorptum a *quaeris*, *animi* per compendium *an* scriptum fuisse hallucinatur, quorum posterius certe haud scimus an inter eos compendiorum abusus referendum sit, qui, ut Lachmannus ait ad Lucret. II. 342, fingunt quod nullo tempore fieri potuit; prior autem ratio multo facilius eo convertetur, ut *qua* ex *quaeris* repetamus eoque facto eandem interrogationem, quam jam veteres editiones exhibent, in commodiorem ordinem redigamus, hoc est non ut illae *quaeris qua* sed *qua quaeris in causa* scribamus; *in* enim ex *an* restitutum non magis hic offendet quam Catil. II. 6, ubi pari mendo olim *quaesivi an* pro *in nocturno conventu* legebatur. De Vestoriano autem negotio, quod Caelius se C. Sempronio Rufo exprobrasse jactat, protinus mira narrat Drumannus *Gesch. Roms* T. VI, p. 117: Ciceronem arbitrum inter Sempronium et Nestorium (ita enim scribit) constitutum esse ideoque Sempronium Ciceroni proficiscenti in Cumano praesto non fuisse, quia timeret, ne si adversarius eodem venisset, judicium fieret (*der Gegner werde sich einfinden und dann der Spruch erfolgen*); quae nisi ex nostri loci interpretatione finxit, unde habeat ignoramus. Nam ad Att. V. 2 hoc tantum Cicero scribit, illum, *quod se a Vestorio observari videret*, ad se non accessisse; nostro autem loco tantum abest ut arbitrii vestigium insit, ut admonitorem vel rogatorem Ciceronem cognoscamus, cui pro Vestorio interpellanti hoc Sempronius *pro beneficio dederit, ut si quod injuriis suis esset, Vestorius teneret.* Scilicet quantum nos intelligimus pecuniam Vestorio feneratori Sempronius debebat, Cicerone ut videtur intercedente creditam, quapropter hic illum in eadem epistola *parum gratum* appellat; quem quum Sempronius in Cumano Vestorium, quo familiarissime utebatur, secum habere suspicaretur, ne officii quidem causa adire (ita enim Ciceronem scripsisse suspicamur) laboravit; eidem vero alio tempore pro Vestorio monenti id responsum dederat, quod tunc Caelius exagitavit. Illud tantum ambigimus, quale hoc responsum fuerit; iis enim verbis, quae cod. Med. tradidit, *si quod injuriis suis esset*, latine loquentem usum esse aegre credimus; quod tamen editores certatim *quid* pro *quod* substituerunt,

adeo non probamus, ut ipsum hoc *quod* sequentes *aes* potius ante *esset* excidisse arbitremur, quo revocato unum id quaerendum restat, unde maxime petendum illud aes Sempronius Ciceroni pro Vestorio deprecanti concesserit. Gronovius *in Thuriis* conjecit, *in juribus* Corradus; ejusdem tamen farinae innumera hariolari licet; quoque absurdius Sempronium respondisse certum est — *εὐήθειαν* ejus memorat etiam Att. VI. 2 — eo difficilius sanus homo ipsius verba indagabit.

Sed haec in transcursu tantum de aliis epistolae octavae locis in mentem venerunt; insignissimus, quem data opera tractare instituimus, in Serviliana causa versatur, de qua ipsius Caelii verba, qualia illum scripsisse arbitramur, haec sunt: *Haec quoque magna nunc contentio forum tenet. M. Servilius postquam, ut coeperat, omnibus in rebus turbarat, nec quod non venderet cuiquam reliquerat, maximeque nobis traditus erat invidiae, neque Laterensis praetor, postulante Pausania, nobis patronis, quo ea pecunia pervenisset, recipere voluit, Q. Pilius, necessarius Attici nostri, de repetundis eum postulavit. Magna illico fama surrexit et de damnatione ferventer loqui est coeptum; quo vento projicitur Appius minor, ut indicet de pecunia ex bonis patris pervenisse ad Servilium praevaricationisque causa diceret depositum HS LXXXI. Admiraris amentiam; immo si actionem stultissimasque de se, nefarias de patre confessiones audisses? Mittit in consilium eosdem illos, qui lites aestimarant, judices; quum aequo numero sententiae fuissent, Laterensis leges ignorans pronunciavit, quid singuli ordines judicassent, et ad extremum, ut solet, non redigam. Postquam discessit et pro absoluto Servilius haberi coeptus est, legis quintum et centesimum caput legit, in quo ita erat: quod eorum judicum major pars judicarit, id jus ratumque esto; in tabulas absolutum non retulit, ordinum judicia perscripsit; postulante rursus Appio, cum L. Lollio transegisse et relaturum dixit. Sic nunc neque absolutus neque damnatus Servilius de repetundis saucius Pilio tradetur; nam de divinatione Appius, quum calumniam jurasset, contendere ausus non est Pilioque cessit; et ipse de pecuniis repetundis a Serviliis est postulatus.* Unum versum, de quo certum judicium facere non audemus, *maximeque nobis traditus erat invidiae*, intactum relinquere quam cum Graevio *maximae* aut cum Lambino *maxima . . invidia* scribendo altioris vulneris suspicionem legitimae structurae specie removere maluimus; reliqua in quibus ab Orellii lectione recessimus, haec fere sunt: *Q. Pilius* ex conjectura Madvigii ad Cic. de Fin. p. 820, *quod Pilius* Orell. cum Medic. contra sermonis usum, qui ubi primo nomen aliquod memoratur, praenomen antefigi jubet; Quintum autem Pilium, Piliae Attici uxoris propinquum, noscimus etiam Att. IV. 17; neque alius est Q. Celer, cujus orationem contra M. Servilium Cicero ibid. VI. 3 sibi mitti cupit. Contra mox *patris* Med. lectionem revocare non dubitavimus, quanquam Lambinus *paternis*, Orellius *patriis* edidit in eaque forma etiam deinceps sibi constitit, ubi quum Med. corrupte *de patris* offerret, Victorius aliique simpliciter *patris*, Graevius *de patre* correxit; nos nefarie filium tantum de patre confiteri potuisse, bona autem, de quibus ageretur, patris non filii fuisse existimantes priore loco ipsum

patris, altero saltem *de* cum codice retinuimus, quo facto *patre* scribi necessarium erat. Orellius enim quod utramque lectionem in eo peccare arguit, quod patri ipsi scelera apponantur, quum tamen sermo unice sit de bonis patriis male dissipatis, repetundarum negotium, de quo solo nunc agitur, omnino non intellexit; immo quae ad C. Claudium patrem de repetundis damnatum pertinent, ita ad filium transtulit, ut hunc confitentem faceret nefarie ac fraudulenter se bonis patriis potitum, nefarie iis usum esse ad scelera perpetranda et libidines explendas; quorum criminum nec nostro loco neque alibi vel levissimum vestigium exstat. Paulo post *ut solet* antiquae editiones, *ut solent* libri, quasi Praetores intelligi necesse sit; at formula, quae non magistratuum consuetudine sed legibus et ordine judiciorum nitebatur, impersonale verbum requirere visa est; cf. Kritz ad Sallust. Catil. p. 133. Quod sequitur *legis quintum* nostra conjectura est; editi cum Medic. *legisque unum*, ubi tamen copula cum subjecti mutatione aegre conciliatur; utque hoc minus certum sit, mox *transegisse et* ipsa codicis vestigia manifesto commendant. Illic enim *transegisset relaturum* legimus, unde sine temeraria levitate nec *transegit et se* cum Victorio nec *quum cum L. Lollio transegisset se relaturum* cum Graevio effeceris; nec quicquam difficultatis habet infinitivus sine subjecto, quod ipsum Ciceronem in reflexiva structura passim omittere notum est; cf. Classen ad Cluent. p. 192; quamvis igitur nec L. Lollium nec transigendi cum hoc modum norimus, nihil tamen causae est, cur Laterensis id, quod eum fecisse vulgaris quoque lectio arguit, non ipse prae se ferre et postulanti Appio narrare potuerit.

Videtis, Commilitones, quantum sibi editores in Caelii verbis licere existimaverint, quamque exiguo negotio eadem optimo codice duce ad commodam sententiam redigantur; neque alia interpretationum causa est, quas hic locus vel nostra memoria tam varias tanque contortas expertus est, ut qui has solas sequi voluerit, nae ille multo plus obscuritatis inventurus sit, quam qui ipsam Caelii narrationem incorrupto sensu amplectatur. Agmen ducat iterum Drumannus, qui T. II, p. 199 in ipsius C. Claudii vita: M. Servilius, inquit, welcher ihn dann wegen Erpressungen anklagte, wurde von ihm mit Gelde beschwichtigt; sein jüngerer Sohn Appius forderte es a. 51 zurück und liess *zum Theil* dieselben Richter zu, welche den Vater *freigesprochen* hatten und nun der eigenen Ehre wegen Servilius nicht verurtheilen konnten; inferius autem p. 384 ad Appium minorem delatus eandem rem pluribus ita explicat: Servilius hatte seinen Vater Cajus nach dessen Rückkehr aus der Provinz Asia, welche er a. 55 als Proprätor verwaltete, wegen Erpressungen belangt und dann gegen die Zusicherung einer beträchtlichen Summe sich insgeheim mit ihm geeinigt, so dass die *Freisprechung* erfolgte. Da ihn jetzt eine gleiche Klage erwartete, beschuldigte ihn Appius bei dem Prätor Juventius Laterensis eines strafbaren Einverständnisses; aus Eigennutz, um das Geld wiederzuerhalten, beschimpfte er seinen Vater im Grabe; überdies war er so unbesonnen, dass er Richter zuliess, welche jenen freigesprochen hatten und daher Servilius nicht verurtheilen konnten, ohne ihre Kurzsichtigkeit oder Ungerechtigkeit zu gestehen. Man zählte

gleich viel Stimmen für und gegen den Beklagten, und der Prätor hätte ihn demnach für unschuldig erklären sollen; er wusste dieses nicht und der Process blieb unentschieden. Qua in enarratione primum illud liquido falsum est, partem tantum judicum ex eorum numero fuisse, qui C. Claudii causam judicassent; immo claris verbis Caelius eosdem, qui illas lites aestimassent, judices ab Appio in consilium missos esse narrat; quorum si nihilo minus ita sententiae discrepabant, ut pari numero in utramque partem exaequarentur, rationes illae, quibus eos in judicando ductos esse Drumannus innuit, profecto non eaedem in omnibus esse poterant. Neque imprudentiam Appio aut Caelius exprobrat aut nos imputare debemus, qui eosdem illos judices in consilium ire passus sit; qui si semel ad hanc causam constituti erant, a secundario litigatore, qui se posterius demum illi causae interponeret, ne rejici quidem potuisse videntur. Rejectio enim cum sortitione judicum conjuncta erat; in repetundarum autem judiciis eosdem, qui semel sorte ducti lites aestimassent, quaecunque controversiae ad eam aestimationem pertinerent, quamvis interjecto tempore pariter disceptandas accepisse clarissimo Rabirii Postumi exemplo discimus, cujus causam agens Cicero c. 4: *modo vos*, inquit, *iisdem litibus in A. Gabinium judices sedistis*; quo igitur tempore Appius judices in consilium misit, hoc est post testes editos (Verr. I. 9; cf. pro Cluent. c. 30), etiam si quem judicare nollet, impediendi facultatem non jam habuit. Omnium denique gravissimus is Drumanni error est, quod aut absolutum esse C. Claudium aut Servilio hoc propositum fuisse arbitratur, quasi ad praevaricationem non id sufficiat, ut accusator litem minoris aestimet, quam re vera debeat; quo in genere fuerunt qui ne Ciceronem quidem in causa Verrina extra culpam fuisse criminarentur; cf. Drumann. T. V, p. 325; Claudio autem si lites aestimatae erant, damnatum fuisse planissime apparet, ut Verr. I. 13 P. Septimio senatore damnato de pecuniis repetundis *lis aestimata est eo nomine, quod ille ob rem judicandam pecuniam accepisset*; quanquam hoc quoque in judicium cadere poterat, quod Cicero pro Cluentio c. 41 de toto genere narrat: *in litibus aestimandis fere judices, aut quod sibi eum, quem semel damnarunt, inimicum putant esse, si qua in eum lis capitis illata est, non admittunt, aut quod se perfunctos jam esse arbitrantur, quum de re judicarent, negligentius attendunt cetera; itaque et majestatis absoluti sunt permulti, quibus damnatis de pecuniis repetundis lites sunt aestimatae, et hoc quotidie fieri videmus, ut reo damnato de pecuniis repetundis, ad quos pervenisse pecunias in litibus aestimandis statutum sit, eosdem* (vulg. *eos illi*; fort. *eos iidem*) *judices absolvant; quod quum fit, non judicia rescinduntur, sed hoc statuitur, aestimationem litium non esse judicium.* Quo ex loco primum hoc discimus, quaestionem, quo pecunia pervenerit, ad ipsam litium aestimationem pertinuisse, quae si eorundem judicum sententiis fiebat, qui ipsam causam judicassent, nostra quoque in causa ne penes Appium quidem erat, quos judices de Servilii praevaricatione in consilium ire vellet; deinde vero utut hoc fuit, illud certe apparet, eum, cui lites aestimatae essent, non absolutum sed damnatum fuisse; si quid igitur in Appii postulatione aut amens aut nefarium fuit, in eo potius cernebatur,

quod eum hominem in judicium vocabat, quem nisi ipsius patris culpam confessus convincere non posset.

Sed hunc Drumanni errorem jam Th. Mommsenius notavit de colleg. et sodalit. Roman. p. 68, his quoque Ciceronis verbis adhibitis, quae Schol. Bobiensis p. 337 servavit: *at sum, inquit, absolutus, novo quidem hercle more, cui uni absoluto lites aestimatae sunt;* idem tamen quae de ceteris disputavit, ne ipsa quidem ita comparata sunt, ut virum acutissimum re denuo examinata omnia etiam nunc amplexurum esse arbitremur. Nempe haec ejus verba sunt de C. Claudio: *cui quum damnato lites aestimarentur, ut minoris pecuniae damnaretur effecit corrupto accusatore per sequestrem M. Servilium*, cum hac nota: *sequestrem eum fuisse, non accusatorem arguunt quum verba Caelii: depositum HS LXXXI, tum maxime decretum Laterensis: non redigam; ita enim non in judicio principali pronunciabatur, quo de condemnando absolvendove reo certaretur, sed in secutorio illo, quo ea pecunia pervenisset*; et deinceps: *hunc Servilium quum Appius minor C. Claudii paulo post damnationem mortem filius a. LI multis nominibus videret periclitantem, idoneam ratus hanc occasionem nomen ejus de praevaricatione detulit; non quasi ipse praevaricatus esset, sed quod pecunia ex praevaricatione ad eum pervenisset; et eosdem illos judices, qui ante quatuor annos C. Claudio lites aestimaverunt, quique etiam de ipsa causa judicaverant, in consilium misit.* Atqui nos hoc quidem neutiquam concedimus, sequestris tantum, non accusatoris partes in causa Claudiana Servilium egisse; qua in causa quum ipse Mommsenius et praevaricationem exstitisse, et accusatorem pecunia corruptum aliquid de justa severitate remisisse, et C. Claudio lites minoris quam deberent aestimatas esse agnoscat, jure nostro miramur, quomodo illam pecuniam etiam tum, tertio post damnationem anno, apud sequestrem potius quam apud eum fuisse statuat, cui corrumpendo olim apud sequestrem deposita esset? Mittimus clara Caelii verba, quibus *praevaricationis causa* pecuniam depositam ait, non corruptelae, quemadmodum dicere debebat, si sequestris potior quam accusatoris commemoratio fuisset; at quo tandem pacto, peracta lite, pecunia ad sequestrem *pervenisse* poterat, nisi hunc utrique parti fidem violasse quamque a reo ad accusatorem corrumpendum accepisset, Stajeni illius instar in suum usum convertisse statuimus? sive maxime id quoque Servilius committere potuerat, num ita hoc crimen comparatum erat, ut secutorio demum judicio per repetundarum occasionem, quo ea pecunia pervenisset quaerendo exagitaretur? Non novimus praeterhac M. Servilium, nisi forte is fuit, quem Cicero Brut. c. 77 extremo inter aequales oratores loco numerat; sed qualem ex nostro loco colligimus qualemque ipse Caelius describit, venalem, ambiguum, turbulentum, rapacem, omnia potius cognoscimus, quam fraudulentum et mendacem, quem in deposito male versari pecuniamque sequestro acceptam infitiari exspectes; neque nunc alieno potius homini, Q. Pilio, publicoque judicio relinquendus quam ab iis, quorum interesset, privata petitione persequendus fuisset. Nos vero, ne quis erret, *depositam*, hoc est sequestri traditam pecuniam, qua C. Claudii accusator corrumperetur, neutiquam negamus; quo de

negotii genere docte egit F. H. Weismannus de divisoribus ac sequestribus, ambitus apud Romanos instrumentis, Heidelbergae 1831. 4; Servilium autem ut non eum apud quem, sed cujus in commodum potius deposita sit existimemus, hoc maxime movet, quod pecunia ad eum *pervenisse* dicitur, quae si ea conditione deponebatur, ut eam accusator, ubi praevaricatus esset, acciperet, hac ipsa re ad accusatorem potius quam ad sequestrem perveniebat, cui nihil in illam juris competebat; immo hic, ut pro Cluentio c. 26, nihil nisi *confirmator* illius pecuniae erat, quam praevaricator, quandocunque vellet, ab eo accipere posset. Itaque M. Servilium re vera accusasse C. Claudium in eaque accusatione pecunia apud nescio quem sequestrem deposita corruptum praevaricatum esse ipsi Caelio testi credimus, eoque facto primum quidem illam difficultatem evitamus, in qua expedienda frustra se Mommsenius torsit, quomodo praevaricationis vel mentio fieri potuerit in homine, qui ex hujus sententia praevaricatus re vera non esset; deinde vero ne ipsam quidem Servilii delationem ita interpretamur, ut hujus nomen de praevaricatione Appius detulerit, eaque re etiam a Reinio et Zumptio dissentimus, qui etsi Servilium C. Claudii accusatorem recte agnoscunt, tamen et illud cum Mommsenio commune habent, ut de *judicio* praevaricationis loquantur, quod Servilio Appius intenderit, et alia complura statuerunt, quae ex ipsius Caelii verbis corrigenda potius quam his illustrandis adhibenda esse videantur.

Nam ut hoc jam agamus, apud Reinium haec leguntur Criminalrecht der Römer p. 665: *C. Claudius Pulcher, Proprätor Asiens, wurde von M. Servilius Geminus oder unter dessen Mitwirkung angeklagt, und obgleich er den Ankläger bestochen hatte, condemnirt; bald darauf nach dem Tode des Claudius klagte dessen Sohn Appius den M. Servilius Geminus bei dem Prätor Juventius Laterensis an, und verlangte die Rückzahlung des bei jenem von seinem Vater* praevaricationis causa *deponirten Geldes. Dieselben Richter, welche über seinen Vater gerichtet hatten, mussten nun auch über Servilius richten, und um sich nicht zu compromittiren, entschieden sie nicht sogleich gegen Servilius* etc.; Zumptius autem in Comm. de legibus judiciisque repetundarum II, p. 67 ita de eadem hac causa disputat: *C. Claudius Pulcher, qui Asiam post praeturam rexit, paulo post repetundarum accusatus est a M. Servilio ac damnatus, quandoquidem lites ei aestimatas esse legimus ... ejus ulciscendi causa Appius minor ejus filius M. Servilium primo repetundarum et ipsum accusare voluit, sed quum eam causam Q. Pilio, necessario Attici, concessisset, accusavit praevaricationis in patris sui repetundarum judicio pecuniamque apud illum ob C. Claudii absolutionem depositam repetivit. Hanc Appii amentiam ridet M. Caelius, quod et patris memoriam tanquam jure damnati laesit, nec tamen satis cavit, ne in consilium admitterentur iidem, qui patrem damnassent, judices; itaque M. Servilius paribus judicum sententiis absolutus est vel potius pro absoluto fuit* etc. Quibus in disputationibus primum quidem miramur Reinium quamvis a Mommsenio admonitum veterem Pighii errorem propagasse, qui M. Servilium, quem a. 694 u. c. tribunatum gessisse suspicatur, solita hariolandi teme-

ritate Gemini cognomine donavit; deinde vero et illud recusamus, ne pecunia apud ipsum Servilium deposita habeatur, quam apud sequestrem potius huic assignatam esse diximus, et judicum fidem tuemur, quos, si Reinium audiremus, necesse foret consulto sententias ita inter se comparasse, ut aequato numero nec damnasse Servilium nec consensu absolvisse viderentur; utque mittamus, quod superius explicatum est, de judicibus in consilium mittendis cavere nihil amplius Appium potuisse, ne illud quidem hujus peccatum agnoscimus, ut patrem jure damnatum esse concesserit, quem satis erat accusatorem corrupisse confiteri; postremo etiam id verbo reprehendere cogimur, quod Zumptius temporum ordinem sic invertit, ut quum Caelius ea demum fama, quae de Pilii accusatione orta esset, Appium ad indicium de pecunia Servilio data impulsum esse tradat, ille accusandi hominis consilium jam ante Pilium ab Appio captum esse narret, eaque omnia, quae Caelius de divinatione post absolutionem Servilii memorat, ante ipsum Appii indicium ponat. Sed haec leviora sunt; gravissimum omnium, quod uno ore Mommsenius, Reinius, Zumptius *accusatum* de praevaricatione Servilium jactant, quasi aut ea hujus accusationis natura fuerit, ut alienae causae pro appendice inseri potuerit, aut qui eo nomine aliquem accusaret, id propositum habuerit, quod Appium secutum esse planissima Caelii narratio docet. Quippe quae Reinius p. 801 pro exploratis venditat: *es war verordnet, dass wenn ein Schuldiger durch Praevaricatio des Anklägers freigesprochen wäre, der Freigesprochene zum zweiten Male angeklagt werden könne, und dieser zweite Ankläger war gezwungen, vor Allem den ersten Accusator wegen seiner Praevaricatio anzuklagen, und zwar bei demselben Gerichte, welches den Schuldigen condemnirt hatte* — et plurimam partem ex nostri demum loci interpretatione collecta et ab ejusdem natura ac ratione alienissima sunt; si quidem nec absolutus C. Claudius erat, nec filius ejus in Servilii praevaricatione memoranda hoc egit, ut patris causam iterum in judicium vocaret, sed ut eam pecuniam, quae praevaricationis causa Servilio assignata esset, lucri faceret; id quod luculente apparet ex verbis *postulante rursus Appio*, quorum haec tantum sententia esse potest, ut Appius, quum Servilium non pro absoluto in tabulas relatum vidisset, pecuniam ab illo redigi jusserit. Atqui haec non erat judicii de praevaricatione indoles, ut corruptus accusator mercedem corruptori ejusve heredibus reddere cogeretur; quam si maxime reddi oportebat, ad eum certe, unde profecta erat, non redibat; quod nisi quis eo delabatur, ut condemnato reo pecuniam a praevaricatore judicio repeti potuisse existimet, non magis apparet, quid Appium ad M. Servilium *de praevaricatione* accusandum impellere potuerit, quam quomodo talis accusatio, quae prae ceteris integros judices efflagitare videretur, post triennium ad idem consilium devoluta sit, quod principalem causam judicasset. Bonum igitur factum, quod Caelius omnino ne verbum quidem de praevaricationis accusatione vel judicio scripsit, sed *indicasse* tantum Appium narrat *ex bonis patris pecuniam ad Servilium pervenisse*; quam licet hic *praevaricationis causa* accepisset, Appius tamen neque ipsam praevaricationem neque omnino delictum M. Servilii accusavit, sed quum damnato C. Claudio ea quaestio reliqua esset,

quo pecunia, quam ille injustis modis confecerat, pervenisset, filius e re sua esse putavit, eam quoque hujus partem *indicare*, quam pater praevaricationis causa accusatori suo apud sequestrem assignasset; neque aut Appii aliae partes sunt quam indicis, qui, ut Escheri verbis utamur de testium ratione, Turici 1842. 8. p. 3, *ubi ipse sententiam laturus, accusatore non admisso, inquirebat, latebras delictorum huic patefaciebat*, aut alio nomine reum Servilium deprehendimus, quam quo Rabirius Postumus in causa a Cicerone acta apparet, quod inter eos haberetur, quibus homo de repetundis damnatus pecuniae suae partem impertivisset. Praevaricatio peculiare judicium, integros judices exegisset; lites, quo ea pecunia pervenisset, ut ipsius Ciceronis verbis utar, *non suis propriis judiciis*, *sed in reum factis condemnari* solebant; quod si eosdem judices, qui C. Claudio lites aestimaverant, etiam de M. Servilio in consilium mittuntur, vel hinc apparet non praevaricationis hunc, sed pecuniae judicium subire ex lege Julia, qua cautum erat, ut si ex ejus qui de repetundis damnatus erat, bonis non tantum redigeretur, quanti ei lites aestimatae essent, quod reliquum esset ab iis peteretur, ad quos ea pecunia pervenisset; idque etiam formula *non redigam* ostendit, cui recte Mommsenius in secutorio demum judicio locum tribuit; id ipsum tamen quum *quo ea pecunia pervenerit* fuisse concedat, quomodo idem *de praevaricatione* fuerit, aegre intelligas.

Jam denique ut comprehensis, quae adhuc singulatim exposita sunt, totum negotium ordine persequamur eademque opera etiam quae nondum tangi potuerunt illustrare conemur, C. Claudium, qui Asiam annis 699 et 700 u. c. proconsulari potestate rexerat (cf. Bergmann in Schneidewini Philologo t. II, p. 678), a M. Servilio repetundarum accusatum damnatumque esse pro certo statuimus; eundem tamen accusatorem rem suam ita gessisse Caelius prodit, ut neque iis, quorum causam agere videretur, satis faceret neque ipse ejus criminis, cujus reum Claudium egisset, expers fuisse videretur. Quod enim *turbasse in omnibus rebus* narratur, non ita intelligendum est, ut alibi *conturbare* dicuntur, qui bonis dilapidatis creditorum rationes fallunt (Att. IV. 7, Planc. c. 28, Fin. I. 10), sed turbas inde ortas significat, quod ille ab initio susceptae accusationis mala fide egerat, omniaque venalia habens non reo tantum, ut postea legimus, praevaricatoriam operam vendiderat, sed etiam damnato, quum singulas lites aestimari provincialibusque quae injuria erepta erant restitui oporteret, eorum maxime commodis consuluerat, a quibus pecunia corrumperetur. Nimirum finito judicio, si ex ipsis damnati bonis non tantum rediret, quantum provincialibus deberi judicatum esset, iis, quibus nondum satisfactum erat, licebat quaeri jubere, ad quos aliquid ex ea pecunia pervenisset; eaque nunc Pausaniae causa fuisse videtur, quem Caelius se patrono frustra eam inquisitionem a Laterense praetore postulasse scribit, nempe ut Alabandensium nomine, quorum illum oratorem et legatum fuisse ex Cic. ad Att. XIII. 64 probabiliter colligimus, ea repeteret, quibus hos quoque a C. Claudio spoliatos esse in judicio apparuisset. At enim accusatoris perfidia et avaritia haec causa in tantam invidiam adducta erat, ut quum in a. 703, quo ipso haec Caelius perscripsit, et M.

Juvencii Latereusis praeturam extracta esset, is praetor, taedio ut videtur captus, illam quaestionem recipere amplius nollet; neque adeo nimis audacem fore arbitramur, si quis verba manifesto corrupta: *maxime nobis traditus erat invidiae*, ita emendet, ut M. Servilius *maxime novis magistratibus invidiae* fuisse dicatur — hoc est *invisus*, ut *odio fistula* Virgil. Ecl. VIII. 389; sive hanc conjecturam praetuleris: *maximeque nobis fraudi ejus erat invidia*, illud tamen liquet, Servilii culpa ipsas litium aestimatarum rationes et compensationes adeo turbatas fuisse, ut nihil expeditius esse videretur, quam ipsum Servilium ejusdem criminis reum fieri, quo ipse perfide persequendo eos quorum intererat etiam majoribus damnis affecerat. Hujus autem judicii fama quum neminem dubitare sineret, quin Servilius damnaretur, permotus est Appius minor, ut illud, quod superius illustravimus, indicium faceret, inter eos, ad quos pecunia ex patris sui bonis pervenisset, ipsum Servilium fuisse, cujus corrumpendi causa, ut praevaricaretur, apud qualemcunque sequestrem HS LXXXI depositum esset; cujus indicii haec ratio fuisse videtur, ut Appius, quum totas Servilii fortunas in discrimen vocari videret, aliquid inde ipse lucrari concupisceret. Non dicimus eum Servilium de praevaricatione accusasse, cujus accusationis modo monuimus non eam vim esse potuisse, ut aut ipse qui priori judicio damnatus esset aut hujus filii pecuniam corrumpendo praevaricatori impensam hoc vicissim damnato recuperarent; sed quum filios damnati inter eos fuisse consentaneum sit, ad quos aliquid ex hujus pecunia pervenisset, iidem tamen, quo plures hujus culpae consortes haberent, eo minus ipsi solvere cogerentur, haec Appio causa esse potuit, ut indicanda Servilii praevaricatione aliquam certe ejus debiti partem, quod sibi alioquin dependendum fuisset, in praevaricatorem transferret. Id ipsum tamen apparet assequi eum non potuisse, nisi et patrem corruptelae instrumento usum et se ejus culpae conscium ac participem esse confiteretur, quorum alterum nefarium, alterum stultum merito Caelius appellat; neque adeo fidem invenit apud judices, qui quum paulo ante in ipsis litibus aestimandis constituissent, quota cujusque in solvendo pars esset, dimidia certa eorum pars sero indicio eam vim tribuere noluit, ut aliquid ex superioribus decretis immutarent; idem illi ut videtur secuti, quod clare Cicero pro Rabir. c. 4 testatur, *neminem unquam quo ea pecunia pervenisset causam dixisse, qui in aestimandis litibus appellatus non esset, appellari autem in litibus neminem nisi ex testium dictis aut tabulis privatorum aut rationibus civitatum.* Unde factum est ut praetor, quum singulorum ordinem sententiis ex legis Fufiae praescripto numeratis aequatas partes invenisset, solito judiciorum more secundum reum pronunciaret seque pecuniam a Servilio redacturum negaret, quo audito Servilius ita e judicio discessit, ut vulgo absolutus esse videretur. Praetor tamen quum in tabulas absolutum referre pararet, dubitare coepit, num id etiam Juliae legi conveniret, cujus inter capita quum hoc quoque cautum esset, ut quod major judicum pars judicasset, ratum haberetur, aequum sententiarum numerum ad absolvendum non sufficere ratus in eo acquievit, ut singulorum ordinum judicia perscriberet; eaque re effecit, ut Appius rursus, secundum se judicatum esse existimans, pecuniam a Servilio redigi

postularet, donec praetor, qualemcunque cum L. Lollio transactionem causatus — haec enim obscurissima totius narrationis pars est — M. Servilium pro absoluto in tabulas relatum iri dixit. Tum demum Appius, spe sua excussus, et ipse accusandi M. Servilii consilium cepit hujusque nomine delato jam calumniae jusjurandum dederat, quum iniquum sibi cum Q. Pilio de divinatione certamen imminere intelligens rem abjecit; quo facto Servilius vicissim, cui nulla amplius parcendi causa erat, filios suos in Appium immisit, ut hunc tanquam paternorum furtorum participem in judicium vocarent, praetereaque S. Tettius accensus, ut videtur (Verr. I. 28), cujus ipse olim opera in sociorum injuriis usus erat (hoc enim emissarii munus est, ut Verr. III. 40, V. 41) ab inimicis inductus esse videtur, ut de vi reum faceret. Ita omnia, ut nos speramus, ordine explicantur; nec si maxime unus alterque locus obscurus manet, tantae hae tenebrae sunt, ut aut Caelium propterea reprehendere aut interpretandi laborem recusare liceat.

Haec hactenus de eo loco, quem quia ampliore interpretatione egere videbamus, huic disputationi principaliter illustrandum proposuimus; semel tamen ad M. Caelii epistolas delati etiam aliorum lectiones, de quibus aliquid certi statuere posse arbitremur, ita disceptabimus, ut quantum possit principio libelli finis constet. Epist. I, §. 2. *Marcellus quod adhuc nihil retulit de successione . . . sanequam eos sermones* *e x p r e s s i t*, *qui de eo tum fuerant*, *quum Romae nos essemus.* Ita codex; Manutius et Lambinus maluerunt *repressit*, Orellius *pressit*; temere utrumque; *exprimit* enim *sermonem*, qui se totum ad ejus similitudinem componit, ejusdem indolis imaginem exhibet, quam sermones hominum quasi praescribunt; quod si Marcellus vulgo *tardus et parum efficax* habebatur (VIII. 10. 4), cunctatio ejus huic existimationi velut exemplari suo respondit. — Epist. II. 5. 1 *me repraesentante* Medic.; *me in re praesenti* cum Graevio Orellius; *me praesente* cum Lambino et Ernesto Baiterus, quod tamen ipsum pro glossemate tantum et dittographia agnosco; Caelium *me stante* scripsisse jam in Mus. Rhenan. t. V, p. 615 suspicatus sum. — Ibid. *sed* *t o t a* *bene* Med., *sed tum tam* Benedict, *sed tum ita* Orellius; at cod. lectio ex *tc̄ tā* id est *tunc tam* prodiisse videtur. — §. 2 *ut mihi* *v i d e b a n t u r* Med., *videbatur* Orellius cum editis praeter necessitatem, quia plures numero impetus praecesserant; attractio eadem quae in graeco *ὡς ἔοικας* Plat. Soph. p. 222 D, 233 E, Phileb. p. 66 D, Republ. II, p. 372 C, III, p. 404 D. — Epist. III, §. 1: *sed tanti?* *s e d* *mehercules*; *n o n* *multum M. Octavius eorum odia, quae Hirrum premunt, quae permulta sunt, sublevat.* Sic Med.; praestat autem cum Manutio scribi *est mehercules*, modo deinceps *nam* pro *non* addas. Negationem sequenti sententiae parum convenire etiam Orellius intellexit, post *non* distingui jubens; at nobis hac ipsa de causa *tanti fore* Caelius affirmare videtur, quia Hirri invidia quamvis magna tamen Octavii competitoris indignitate sublevatur. — Epist. IV, §. 1 *nisi* *n o s t r i s q u e* Medic., *nisi nostri equites* editi; propius tamen accedit *nisi nos nostrique*, cui ne quis sequens *vidissent* opponat, praeter exempla in Mus. Rhenan. p. 616 allata conferat graeca apud Schömann. ad Isaeum p. 462. — Epist. V, §. 1 *nam si* *h o c*

more moderari possemus Medic. et Orell. corruptelae nota apposita; at in promptu erat Bengelii medela *hoc modo rem*. — §. 2 *moreretur* Medic., *moretur* editi, nescimus quo subjecto; at verissime jam Ernestus *moremur* commendavit. — §. 3 *hoc sic praeterito anno Curio tribunus et eadem actio de provinciis introivit, ut quam facile nunc sit omnia impedire et quam hoc Caesari qui sua causa rempublicam non curent superet, non te fallit.* Sic codex; *hoc si praeterito* ... *introibit*, *quam facile tunc* ... *sperent non te fallit* Orellius in priore editione; in posteriore unum *si* retinuit, reliqua obelo notare sategit; nos ne hoc quidem mutandum arbitramur, modo *introibit at* proque *qui* aut *quique* aut *et qui* scribatur; *superare* pro περιεῖναι, lucro esse, jam in Mus. Rhenano exemplis firmatum est. — Epist. VI, §. 3 *hic nos omnes absolvimus et hercules consaepta omnia fodera et inhonesta sunt* Medic., *foeda* editi, nimis, ut opinamur, late nec convenienter ad *consaepta*, quod propiorem definitionem requirit; vide igitur ne *foedere inhonesto* scriptum fuerit, quo sensu *foedus* de pactionibus illegitimis etiam Cicero pro Sest. c. 10 et in Pison. c. 12 usurpavit. — §. 4, ubi Curio alimentariam legem jactare dicitur, pro *quas jubet aediles metiri*, quod in optimo codice est, Graevius *quae*, Orellius *qua* edidit, neuter male; utrum autem amplecteris, *asse* addendum videtur, ut simul pretium indicetur, quo aediles frumentum metiri jussi sint, ut *senis et triente* ex lege Sempronia apud Liv. Epit. l. LX, cf. Mommsen die röm. Tribus p. 179 sqq. — Epist. VII, §. 2 *nuptura est D. Bruto, nondum rettuleras* codex, quod Orellius per interrogationem explicavit: nondum tu haec legens, Paullam divortium fecisse, statim retuleras quasi in rationes tuas, id est divinaras ideo factum esse, ut nuberet D. Bruto? Manutius *retulerat* scil. dotem; nos tamen haud scimus an prima persona praestet, quemadmodum V. 1 *visus* et *visum*, IX. 1 *causam* et *causas* Mediceus confudit; ut de se ipso Caelius interroget, num in superiorem aliquam epistolam hoc jam retulerit? — Epist. VIII, §. 5 *Lucilium* pro *Luccejo* docte restituit Nipperdejus in Berl. Jahrbb. 1846 T. II, p. 251; extremo autem Senatusconsulto quicquid de *CCC judicibus* statuitur (*decuriis judicum* propositum est Mus. Rhenan. p. 617), *sex* in *ut* mutandum esse certum est, cujus repetitae exempla offert Wopkens Lectt. Tull. p. 30 et Bakius Schol. Hypomn. T. I, p. 68. — Epist. IX, §. 1 *Curionem non mediocriter objurgatus hac repulsa se mutavit*, Medic. et Orell. obelo tantum adjecto; at in promtu erat egregia Lueuemanni medela *objurgat; totus* etc. — Ibid. *agit causam liberalis* Medic., *agit causas liberales* Orellius cum Lambino et plurimis, parvi momenti causas explicans, quales sint liberales, hoc est in quibus vindiciae secundum libertatem petantur; at sententia magnam potius temeritatem hominis requirit, qui quum nunquam antea in foro versatus sit, nunc causidicum agat; nos igitur Benedicti potius rationem amplectimur, qui *liberalis* tuetur, ut Hirrus jam se liberalem in causis recipiendis gerere dicatur. — §. 2 *in Kalendas rejecta est ne frequentiam quidem efficere potuerunt* codex; *rejecta re ne* Graevius, Ernestus, Schützius; *res rejecta est, ne* Orellius hiulce; nos ablativos absolutos praeferimus, hoc tantum discrimine, ut *re* ante *rejecta* ponamus et *est* in *at* potius

mutemus, ut *at ne — quidem* sit graecum ἀλλ' οὐδέ. — §. 4 *quod tibi facile et honestum factu est* Medic.; *fortasse quoad* Orellius; nos *sit* pro *est* praeferimus, ut Fam. I. 1: *quod commodo reipublicae facere possis*, III. 5 *quod commodo tuo fieri possit* etc. — Epist. X, §. 1 *quam paratus* defendi potest per figuram, quae dicitur res pro defectu rei, cf. *Zeitschr. f. d. Alterth.* 1842, p. 610; leni tamen mutatione commodiorem sensum restitues scribendo *quam imparatus*, ut ipse Cicero ad Att. VII. 15: *sumus flagitiose imparati quum a militibus tum a pecunia.* — §. 4: *multa tempus afferre et praeparata multa rescio* codex; *multa tempus afferet* Orellius, reliquis obelo notatis additaque conjectura: *multa reipublicae scio;* at verum dudum Schützius ex Ascensiana receperat *afferre et praeparata mutare scio*, modo ne interpolationem *te perspicere* adjecisset, qua ante *scio* facile caremus; reliqua unius literae omissione hic quoque librariorum fidem tuentur. — §. 7 *qua obtestatione decedens mihi ne paterer fieri mandaris* libri; *fortasse discedens* Orellius in priore editione, quod tantum abest ut in altera abjicere debuerit, ut nihil aliud a Caelio scriptum esse persuasum habeamus. *Decedit* enim, qui ex peregrinatione domum repetit, *discedit*, qui domo relicta peregre proficiscitur; nostro igitur loco quo rectius *decessus* ex provincia habetur, eo minus ea, quae Cicero in provinciam abiens Caelio mandaverat, *decedens* potius quam *discedens* mandasse dici potest. — Epist. XI, §. 2: *qui et locutus honorifice non decrerat supplicationes* codex; *qui de te locutus* Orellius cum Graevio; at cur non suam ipsius conjecturam *etsi* praetulit? — Epist. XII, §. 2: *quid ergo est? tamen quasi aliquod amicis, qui testes erant meorum in illum meritorum, locutus sum* codex; *tum quidem cum aliquot amicis* Ernestus; *tamen quasi aliquot cum amicis* Orellius in priore editione; in altera obelum apponere sategit cum hac annotatione: videtur aliquid excidisse, veluti: *tamen quasi aliud agens aliquot cum amicis* etc.; nobis tamen et altius latere mendum et vero facilius corrigi videtur scribendo: *quid ergo? est tamen quasi aliquid, quod amicis .... locutus sum;* ubi ne *loqui* cum dativo mireris, praeter graecum διαλέγεσθαι recordare Ammian. Marcell. XXV. 9: *sed ventis loquebantur incassum*, similiaque apud Cortium ad Lucan. V. 491. — Epist. XIII, §. 2: *quemadmodum Pompejus hoc laturus iste cum cognoscam* Medic., *laturus sit cum cognoscat* editi praeter Benedictum, qui cod. lectionem interpungendo sustinere conatus est; nos *laturus sit* facile amplectimur, deinde vero ne litera quidem mutata *tecum cognoscam* scribimus, ut Caelius Pompeji mentem post reditum Ciceronis palam fore dicat. Reliqua difficiliora sunt, nec tamen quicquam causae apparet, cur Med. lectionem *ut ratione ejus habenda, qui exercitum neque provincias traderet*, ita invertamus, ut vulgo factum est, *ut ratio esset ejus habenda, qui neque exercitum* etc. Immo quicquid contra dicit Drumannus T. III, p. 391, veri haud absimile est senatum eo transiisse, *ut ratio ne ejus haberetur, qui exercitum neque provincias traderet;* alterius autem *neque* omissae exempla, qualia ex Graecis attulerunt Boeckhius ad Pind. T. I, p. 485, Seidler ad Iphig. Taur. 1334, Weber ad Juven. p. 169 et ad Demosth. Aristocr. p. 332, ne a latino quidem sermone aliena esse comprobat

Valer. Flacc. II. 221: *immanes quos sternere Bessi nec Geticae potuere manus*, et VI. 518: *cujus vibrantem cominus hastam cernere nec galeam gentes potuere minantem*. — Epist. XIV, §. 1 *nunc furit tam gavisos homines suum dolorem unumque move studiosiorem Antonii* codex; *unumque me* Orellius addita conjectura *ad unumque omnes studiosiores*, recto sensu, sed verba leniore medela restituit Bettmannus, Seminarii nostri pridem sodalis, una tantum litera mutata *unumquemque studiosiorem Antonii*. — §. 6 *si sine suo periculo fieri posset* codex; *sine tuo* Victorius et Orellius, *sine summo* Lambinus, utique verius, et propter librorum vestigia et propter sensum, qui non Ciceronis tantum sed rei publicae periculum significari jubet. — Epist. XV, §. 2 *quid jam, inquis, gloriose omnia* Medic. et Orell. cum plurimis; sed elegans est Lambini suspicio, qui post *gloriose* sic pergit: *immo si scias quam sollicitus sim*, quia Caelius ipse mox magnificas illas Caesarianorum laudes ad se nihil pertinere fatetur; eundem tamen sensum etiam commodius efficies scribendo: *quid? tam, inquis, gloriose? somnia! si scias* etc.; cf. Terent. Phorm. III. 2. 9. — §. 2 *sed tum quam ob scelus* Medic., *sed tamen quodnam ob scelus* Orellius per interrogationem, cujus causa non apparet; nam quod responsum sequi videtur *ideo quod Intimelii in armis sunt*, neque sceleris notionem continet et ipsam responsi formam Lambini demum conjectura accepit, qui *ideo* pro *adeo* praemisit; restituto *adeo*, quod arcte cum *retro ad Alpes versus* cohaeret, hic quoque sufficit *sed tanquam ob scelus*, i. e. quasi sceleris mihi poena luenda esset. — Ibid. *Bellienus verna Demetrii* libri; at vide ne *Bellieni* potius *verna Demetrius* fuerit; quid enim servo cum nomine romano, quod inter Anniae gentis cognomina passim exstat? Mox *eo num cohortibus* codex, *eo cum quattuor cohortibus* Graevius, Ernestus, Schützius, *eo nunc cum* Lambinus et Orellius; at quicquid de numero interponendo existimas, praepositione opus non esse cum Manutio intelliges comparatis Caes. B. Civ. I. 31: *venientem Uticam navibus Tuberonem portu atque oppido prohibet*, Liv. III. 30: *Virginius agmine quadringentorum hominum veniens*, Juv. XI. 106: *effigiem clypeo venientis et hasta*, aliisque apud Kritz. ad Sallust. Cat. p. 301 et Reisig. Vorles. p. 713. — Epist. XVII, §. 1: *quod utinam aut Appius Claudius in ista parte C. Curio, cujus amicitia me paulatim in hanc portam causam imposuit*. Sic Medic. corrupte utique, sed non adeo ut desperationis signum Orellio apponendum fuerit; certe non quod summam structurae attinet, quam commode restitues inserendo *in hac aut* post *Claudius*, quod facile excidere propter homoearcton poterat. Appii enim odium Caelium a Pompeji partibus absterruerat, Curionis amicitia in Caesaris partes pellexerat; harum igitur pertaesus optat, ut aut inimicus in hac aut amicus in altera potius parte fuerit. Difficilius emendabitur *portam*, cui eodem jure, quo *perditam* editores, *improbam* vel *spurcam* substitues, praesertim quum ipse Caelius diffidere se Caesaris causae neget; nec *imposuit* extra dubitationem esse arbitramur, pro quo *impulit* certe vulgari sermoni magis conveniret. *Arimini* quoque, quanquam perperam in Medic. scriptum, tamen non cum Benedicto et Orellio in *Arimino*, sed cum reliquis in *Ariminum* mutandum est, modo ne cum plerisque *noctu*

praemittas, sed cum Medic. postponas. Caelium enim jam ad Caesarem profectum Arimino in Campaniam ad Ciceronem visendum rediisse nihil probat; multo rectius illum, quum in eo esset ut Ariminum proficisceretur, Ciceronem noctu convenisse statuemus; sic igitur interpungendum: *quum ad te, proficiscens Ariminum, noctu venissem* etc. — §. 2. *ut maxime pies et qui antea noster fuit populus vester esset* codex, quem alii *pius*, Manutius *patres*, plerique *plebes* pro *pius* scribendo emendare conati sunt; nobis, quum ordinis vocabulum exspectemus, praeter *equites* vix quicquam relinqui videtur. *Patres* enim, ut recte Benedictus monet, maxima ex parte tunc Roma discesserant, *plebs* autem quomodo *populo* illa aetate opponatur, aegre intelligas; nec hoc facilius in *pies* quam *equites* in *epies* corrumpi poterat. — Ibid. *arruntanum me Catonem* Medic., *irritavi in me Catonem* veteres editores, quod quum ferri non posse manifestum esset, Benedictus *alunt annum*, Orellius *geram alterum me Catonem* reposuit; proxime tamen ad sensum nobis Oudendorpius accessisse videtur, qui ad Sueton. Caesar. c. 1 *mirabimini in me Catonem* legi jussit; literis modo propius conveniet *an miramini me Catonem*, quo omnes probabilitatis numeros impleri arbitramur.

PP. in Acad. Georgia Augusta pridie Kalend. Februar. a. MDCCCLIII.

RECITATIONES ORDINARIAE.

ORDINIS THEOLOGORUM.

GOD. CHR. FRIDERICUS LÜCKE, Dr., privatim *Epistolas S. Pauli ad Corinthios atque Epistolam ad Hebraeos* interpretabitur senis lectionibus, hora IX; — *Ethicam Christianam* docebit senis lectionibus hora XI. — *Exercitationes Societatis theologicae* partim exegeticas, partim systematicas moderari perget more consueto.

JO. CAR. LUD. GIESELER, Dr., privatim *Historiae ecclesiasticae partem secundam* tradet senis per hebd. lectionibus h. VIII. *Theologiam dogmaticam* docebit quinis h. V.

J. G. REICHE, Dr., h. XI-XII quinquies per hebd. *Isagogen in libros N. T. historico-criticam* tradet; h. II-III quinquies *Encyclopaediam et Methodologiam theologicam* docebit; publice h. III-IV diebus Lunae Martis et Mercurii *Apocalypsin Joannis Apostoli* explicabit.

ERN. RUD. REDEPENNING, Dr., publice *Seminarii homiletici exercitationes* moderabitur die Sat. h. X-XII; privatim *Psalmos* interpretabitur quinquies p. hebd. h. X; *Theologiam dogmaticam* quinquies h. XI, *Biblicam theologiam* quinquies h. II. exponet.

FRIDER. EHRENFEUCHTER, Dr., publice *Seminarii Regii homiletici exercitationes* moderabitur die Saturni h. X-XII; item publice *Exercitationes catecheticas* moderari perget dieb. Merc. et Saturn. h. V—VI. Privatim *Theologiae practicae partem alteram* tradet, i. e. doctrinam cultus divini, homileticae et curae animarum, quinquies p. hebd. III-

IV. *Religionis philosophiam* docebit quaternis p. hebd. scholis dieb. Lun. Mart. Jov. et Vener. h. VII-VIII. Iisdem diebus *doctrinam scholarum inferiorum administrandarum praemissa praefatione de principiis paedagogicis* exponet h. II-III.

J. A. DORNER, Dr., publice *Orationem Christi montanam* die Saturni h. IX explicabit; privatim *Epistolam divi Apostoli Pauli ad Romanos* datam quater exponet h. IX; *Theologiam symbolicam* s. comparativam de confessionibus ecclesiarum doctrinam ternis lectionibus h. IV.

* * *

FRIDERICUS GODOFREDUS RETTIG, Dr. ph., Generalis-Superintendens Princip. Gotting., privatim quatt. lectt. hora I. *praecepta artis catecheticae* (duce libello suo) tradet; publice diebb. Merc. et Saturni hora I. *exercitationes catecheticas* moderari perget.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

GEO. JUL. RIBBENTROP, Dr., *Pandectas* docebit hora IX-X et hora XI-XII; publice diebus Martis Jovis et Veneris hora V-VI doctrinam *de servitutibus et pignoribus* tradet.

GUIL. THEOD. KRAUT, Dr., *Jus germanicum privatum cum feudorum et mercaturae jure* ex tertia libri sui: *Grundriss zu Vorlesungen über das deutsche Privatrecht — — — nebst beigefügten Quellen (Gött. 1845.)* editione sexies per hebdomadem h. VII-VIII et IX-X. adjunctis *theoretico-practicis exercitationibus* una auditoribus commoda hora tradet.

GUIL. FRANCKE, Dr., *Institutiones juris romani* h. XI-XII, doctrinam juris romani *de hereditatibus* hora VIII-IX explicabit.

H. A. ZACHARIAE, Dr., tradet: *Jus publicum Germaniae*, sexies per hebd. hora XI; *Theoriam processus criminalis*, recentiorum legum, quae in Germania de reformando publicorum judiciorum ordine latae sunt, praecipue *Codicis regni hannoverani*, peculiari ratione habita, quinquies per hebd. hora X; *Encyclopaediam juris*, quater per hebd. hora III.

H. CAROL. BRIEGLEB, Dr., hora XI-XII quater per hebd. Collegium *processuale practicum*, h. V-VI ter per hebd. *Relatorium* instituet.

AEMIL. HERRMANN, Dr., *Jus criminale* docebit senis lectionibus h. X., quaternis h. XI. *Juris philosophiam.* Publice *selecta juris criminalis capita* exponet binis scholis h. XI.

HENR. THÖL, Dr., quater per hebd. *Civile practicum* instituet dieb. Lunae et Jovis hora IV-V et V-VI. *Jus mercaturae* e libro suo (*das Handelsrecht, zweite Auflage*) quinquies tradet hora VII-VIII.

ORDINIS MEDICORUM.

JO. GUIL. HENR. CONRADI, Dr., publice dieb. Jov. h. IV *Isagogen in studium Medicinae* ex III. compendii sui *Encyclopaediae* et *Methodologiae medic.* editione, dieb. Mercur. h. V et alia commoda Insti-

tutiones *Therapiae generalis* ex compendio suo, privatim h. V. *Pathologiam* et *Therapiam specialem* ex IV. compendii sui editione tradet; h. X. *Praxin medicam* in Nosocomio academico eique adjuncto Clinico ambulatorio docebit.

C. F. H. MARX, Dr., hora III-IV. doctrinam *de remediorum effectibus atque usu*, nec non *artem formulas medicas concinnandi* quinquies per hebdomadem; hora IV-V. *praecipua et scitu dignissima capita Historiae medicinae literariae* diebus Lunae, Martis et Mercurii tradet.

ED. C. J. DE SIEBOLD, Dr., publicis lectionibus *Historiam artis obstetriciae* hora VII. matut. d. Sat. narrabit. Privatim hora VI. matutin. quat. p. hebd. *Artis obstetriciae* doctrinam exponet simulque auditoribus aditum ad *Clinicen partusque observandos* praebebit. *Cursum operationum cum explorationibus gravidarum et observat. partuum* conjunctum h. III. aliisque hor. commod. instituet. *Clinicen obstetriciam* h. III. sueto more moderari perget.

JOH. F. OSIANDER, Dr., tradet hora IX *Artem obstetriciam* quatuor per hebd. diebus.

F. WÖHLER, Dr., hora IX-X. sexies per hebd. *Chemiam* tradet. In laboratorio academico *Praxin chemicam* docebit.

A. A. BERTHOLD, Dr., *Physiologiam generalem et specialem cum Embryologia* ad Compendium suum (*Lehrbuch der Physiologie für Studirende und Aerzte, 3. Aufl. Gött. 1848.*) h. X-XI. docebit et *demonstrationibus microscopicis experimentisque* illustrabit. *Historiam naturalem universalem et Zoologiam* e compendio suo (*Lehrbuch der Zoologie, Gött. 1845.*) h. II-III. tradet. — Si qui horis publicis III-V., quibus die Martis et Veneris *Museum academicum* patet, accuratiorem explicationem *speciminum zoologicorum* in museo exstantium desiderabunt, sua officia offert.

CONR. HENR. FUCHS, Dr., novies per hebdom., quinquies hora VII-VIII matutina, quater h. V-VI p. m., *Nosologiae*, *Diagnostices* et *Therapiae specialis partem secundam* tradet et hora XI *Praxin medicam* sueto more docebit.

RUDOLPHUS WAGNER, Dr., *Physiologiam* hora X-XI.; *Anatomiam et embryologiam comparatam* quater per hebd. hora VIII-IX docebit. *Exercitationes practicas in instituto physiologico* una cum Doctore Schrader sueto more moderari perget.

GUIL. BAUM, Dr., publice doctrinam *de ossibus fractis et luxatis* dieb. Ven. et Saturni h. IV; privatim doctrinam *de oculorum et aurium morbis* quater per hebd. h. IV; *Chirurgiae partem priorem* tradet sexies p. h. hora II. *Exercitationes clinicas et policlinicas chirurgicas et ophthalmiatricas* in nosocomio Ernesto-Augustano diriget quotidie h. VIII. *Demonstrationes et exercitationes operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum* horis definiendis in theatro anatomico instituet.

J. HENLE, Dr., docebit: *Anatomiae c. h. specialis partem secundam* (Neurologiam cum anatomia organorum sensuum) quotidie h. I-II. *Osteologiam et Syndesmologiam* d. Lun. Mart. et Ven. h. XI-XII. *Anatomiam generalem* ter per hebdom. h. III-IV.

A. GRISEBACH, Dr., hora VII. *Botanicen tam generalem quam specialem* explicabit et excursionibus botanicis plantarumque horti acad. demonstrationibus illustrabit; hora VIII. quater per hebdomadem *Botanicen medicam* docebit. Seminarii physico-mathematici sodalibus *Exercitationes practicas ad Botanicen systematicam* spectantes offert.

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

CHR. GUIL. MITSCHERLICH *Euripidis Phoenissas* hora auditoribus commoda interpretabitur.

CAROLUS FRIDERICUS GAUSS h. X. *instrumenta*, *observationes atque calculos Geodaesiae sublimioris* explicabit; lectionibus privatissimis *Astronomiam practicam* docebit.

JO. FRID. LUD. HAUSMANN hora VIII. sexies per hebd. *Geognosiam*, conjunctis excursionibus, hora X. dieb. Lun. Mart. Jov. et Ven. *Technologiam* tradet. *Demonstrationes mineralogicas et palaeontologicas* in Museo academico sueto more publice instituet.

G. C. J. ULRICH *Trigonometriam* planam et sphaericam cum *Stereometria* h. IX, *Mechanicen sublimiorem* h. II tradet. *Geometriam practicam* dieb. Lun. Merc. et Veneris h. V-VII docebit. In Seminario physico-mathematico *Exercitationes mathematicas* moderabitur die Mercurii h. II.

CAROLUS HOECK quinis per hebdom. diebus, hora e tabulis publicis indicanda, de *Historia literaturae* aget.

HENR. EWALD h. X. senis lectionibus librum *Jesaiae* propheticum cum *reliquorum prophetarum locis selectis* explicabit. Publice h. II. et III. linguam *aethiopicam* docebit, scriptoresque *persicos* et *arabicos* tractabit. Neque iis deerit qui *theologiam Bibliorum utriusque F.* doceri cupient.

GUILIELMUS WEBER hora III-V publice Seminarii physico-mathematici sodales instituendis *Observationibus physicis* exercebit; privatim *Physices experimentalis partem primam* dd. Lun., Mart. et Merc. docebit.

GEO. FRID. GUIL. MEYER hiberno semestri lectionum suarum cursum continuabit.

F. TH. BARTLING *Botanicen specialem*, praemissis *Bot. generalis elementis*, sexies per hebdom. hora VII; *Botanicen medicam* quinquies per hebdom. hora VIII; *Botanicen oeconomicam* dieb. Lun. Mart. Jov. et Ven. hora XI. tradet. — *Excursiones botanicas* sueto more instituet. *Demonstrationes* in horto acad. hora commoda habebit.

HENRICUS RITTER h. III-IV quinquies per hebd. *Logicen et Metaphysicen*, h. V-VI quinquies per hebd. *Historiae philosophiae partem priorem* seu *Historiam philosophiae antiquae* docebit.

CAROLUS FRIDERICUS HERMANN publice Seminarii philologici sodales *commentationibus scribendis et defendendis* exercebit d. Merc. h. XI; privatim *Antiquitates graecas et publicas et domesticas* enarrabit senis scholis hora VII matutina, *Ciceronis Epistolas familiares* interpretabitur ejusdemque vitam in republica administranda actam adumbrabit quaternis h. IV, *Pausaniae descriptionem Graeciae* illustrabit quinis h. V;

privatissime sed gratis in Instituto archaeologico *Numismaticae antiquae elementa* tradet die Sat. h. IX-XI; Seminarii paedagogici *Exercitationes* moderabitur dieb. Jov. et Ven. h. XI.

G. HANSSEN hora VIII-IX quater per hebd. *Statisticam generalem* docebit; hora III-IV quaternis scholis theoriam *Oeconomiae nationalis* tradet.

CAROLUS OESTERLEY, Dr., mensibus Junio et Julio lectionum suarum cursum sueto more persequetur.

AUGUSTUS GUILIELMUS BOHTZ, Dr., quater per hebd. hora IV-V *Psychologiam* docebit. *Historiam Germanorum literariam inde a Lessingio usque ad nostra tempora* diebus Lunae Martis Jovis et Veneris hora V-VI enarrabit.

F. G. SCHNEIDEWIN, Dr., publice Seminarii Regii philologici sodalibus *Hymnos Homericos* interpretandos proponet, diebus Lunae et Martis h. XI. Privatim praemissa narratione de vita et poesi *Sophoclis Trachinias* fabulam explicabit, quater vel quinquies hora X; de comoedia Romanorum disseret et *Plauti Bacchides atque Pseudulum* enarrabit quater vel quinquies hora II. Privatissime exercitationes *Societatis philol.* moderari perget.

ERNESTUS LUDOVICUS A LEUTSCH, Dr. phil., publice Seminarii Regii philologici sodalibus *Tibulli Elegias* explicandas proponet, dieb. Jov. et Vener. h. XI-XII. — Privatim *T. Livi Orationes* explicabit quinquies p. hebd. h. IX-X; *Artem Metricam* tradet quinquies p. hebd. hora III-IV.

GUIL. HAVEMANN, Dr., hora III diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris *Historiam praecipuorum Europae regnorum inde a saeculo sexto decimo usque ad tempora nostra* leget; hora XI-XII iisdem diebus *Historiam brunsvico-luneburgensem* tradet.

G. WAITZ, Dr., publice bis h. VIII-IX *Introductionem in historiam germanicam* tradet, privatim vero quaternis scholis eadem hora *Historiam medii aevi*, hora IV-V *Historiam Germanorum et civitatum germanicarum inde a medio saec. XVIII.* enarrabit.

E BERTHEAU, Dr., *librum Jobi et Canticum canticorum* interpretabitur quinquies h. X.; *historiam et theologiam prophetarum V. T.* enarrabit quater h. II. Publice *linguam arabicam* docebit diebus Mart. et Ven. h. I. *Societatem exegeticam* moderabitur.

RUD. HERMANNUS LOTZE, Dr., quatt. dd. h. III-IV *Metaphysicam* docebit; quinis dd. hora V-VI *Historiam philosophiae inter Germanos a Kantii inde temporibus excultae* tradet.

W. SARTORIUS DE WALTERSHAUSEN, Dr., quinquies per hebd. *Mineralogiam* hora X-XI. et *Vulcanologiam* quatt. lectionibus hora XI-XII. privatim docebit. *Exercitationes practicas ad mineralogiam spectantes* instituet.

JOANNES BENEDICTUS LISTING publice *Exercitationes physicas* in Seminario physico-mathematico moderari perget; privatim *Opticen* tradet quater per hebd. h. I; *Oculi et Microscopii theoriam dioptricam* me-

dicinae studiosis exponet die Jovis hora II; *Meteorologiam et Climatologiam* docebit dieb. Merc. et Sat. hora II.

RECITATIONES EXTRAORDINARIAE.

ORDINIS THEOLOGORUM.

J. G. LUDOVICUS DUNCKER, Dr., publice enarrabit *Historiae ecclesiasticae partem tertiam* quinquies p. hebd. h. IV-V et *Historiam dogmatum medii aevi* d. Sat. h. X-XI; privatim *Historiae ecclesiasticae partem primam* docebit sexies p. h. h. VIII-IX.

GEO. CHN. RUD. MATTHAEI, Dr., *Evangelium Joannis* interpretabitur sexies p. hebd. h. IX.; *capita potiora vitae Christi* exponet auditoribus interpretationis novissimae evangeliorum synopticorum, horis commodis; *orationem Domini* explicabit dieb. Lunae h. I. babita libri ratione proxime edendi: „*Auslegung des Vaterunser nach dem höchsten Grundsatze der Auslegung des N. T.* Goett. 1853." publice.

GEORG. CONR. AMAD. LÜNEMANN, Dr. ph., *epistolas Pauli ad Galatas et Romanos* interpretabitur senis p. h. lectionibus h. IX-X. — *Isagogen in Novum Testamentum* sive *Historiam Novi Testamenti criticam* tradet quinis lectionibus h. II-III.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

C. W. WOLFF, Dr., *Jus germanicum privatum cum feudorum et mercaturae jure* adjunctis practicis exercitationibus senis p. h. diebus h. VII-VIII et h. IX-X. tradet; Collegium quod *Processuale practicum* vocant quinquies p. h. hora IV-V, *Relatorium* diebus Lunae, Martis et Jovis h. V—VI. instituet. *Processum civilem hannoveranum* publice h. III-IV. explicabit.

O. E. HARTMANN, Dr., *Historiam juris romani* sexies per hebdom. hora X-XI; *Theoriam processus civilis* hora XI-XII docebit.

ORDINIS MEDICORUM.

ERNESTUS GUILIELMUS HIMLY, Dr., postquam ex morbo convaluerit, lectiones suas indicabit.

E. F. G. HERBST, Dr., hora IV-V. vel alia commodiore quater per hebd. *Pathologiam et Therapiam generalem*, hora auditoribus commoda quinis per hebd. scholis *Anatomiam*, *Physiologiam et Pathologiam animalium domesticorum* in Instituto Physiologico docebit.

J. C. A. KRAEMER, Dr., horis auditoribus commodis docebit: quater per hebd. *Auscultationem et Percussionem* adjunctis exercitationibus practicis, ter per hebd. doctrinam *de fasciis vincturisque chirurgicis*. Praeterea privatissime cursus practicos *de Auscultatione et Percussione* instituet, et *Exercitationes microscopicas* moderari perget.

AUGUSTUS FOERSTER, Dr., tradet *Anatomiam pathologicam* quater per hebd. hora III-IV; *Exercitationes microscopicas* moderari perget, ter per hebdom., hora IX-XI aut XI-I.

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

J. FR. CESAR *Historiam literarum apud Francogallos* quater p. h. hora commoda tradet; scholasque duas *gallice scribendi et loquendi* quater p. h., alteram hora V alteram hora VI solito more habebit. — *Privatissimas scholas* continuabit. Denique exercitationes practicas privatissime habendas *in arte gallice scribendi acta diplomatica* (*diplom. Styl*) offert.

HENR. FERD. WÜSTENFELD, Dr., publice *selecta scriptorum arabicorum capita* hora auditoribus commoda interpretabitur.

FRIDERICUS WIESELER, Dr., publice *Artis christianae initia* illustrabit, d. Mercurii h. III-IV, *Instituti archaeologici sodalibus selecta artis antiquae monumenta explicanda* proponet, d. Saturni h. XI-XII; privatim *Archaeologiam artium a Graecis et Romanis cultarum* tradet, quinis vel senis scholis, h. X-XI, *Aeschyli Eumenides* interpretabitur, ternis scholis, h. IX-X; privatissime *Societatis philologicae studia* regere perget.

J. E. WAPPÄUS *Geographiam* et *Statisticen Americae*, praemissa historia peregrinationum, quibus America inventa et cognita est, dieb. Lun. Mart. Jov. et Ven.; et *Statisticen regni Hannoverae* tradet dieb. Merc. et Sat. h. VIII-IX.

GUIL. MÜLLER, Dr., *Artem diplomaticam et Palaeographiam graecam atque latinam* docebit simulque auditores in veteribus scripturis legendis dijudicandisque exercebit dd. Lun. Mart. Jov. h. II; *Grammaticam linguae theotiscae* tradet quaternis scholis h. III; *Waltharii ab Aviario carmina* ex editione Lachmanni explicabit dd. Merc. et Sat. h. I; *Societatis theotiscae* studia moderari perget.

THEODORUS BENFEY publice h. I-II diebb. L. M. et M. *Grammaticam linguae sanscritae* docebit. Privatim: h. I-II diebb. J. et V. suam *Chrestomathiam sanscriticam* (*Sanskrit-Chrestomathie, Leipz. 1853*) interpretabitur; h. II-III diebb. L. M. J. et Ven. de *linguarum indogermanicarum indole* aget. Hora audituris commoda linguam quam dicunt *Zendicam* docens nonnulla *Zendavestae* capita explicabit.

M. A. STERN tradet: *Calculum differentialem atque integralem* quinq. per hebd. h. VII; *Arithmeticae sublimioris elementa* quater p. h. h. VIII. In Seminario physico-mathematico *de quibusdam fractionum continuarum proprietatibus* disseret.

H. A. L. WIGGERS, Dr., tradet *Pharmaciam* sexies per hebdom. hora mat. VI-VII; *Pharmacognosiam* quater per hebd. hora II-III. duce Compendio suo: *Grundriss der Pharmacognosie, Gött. bei Vand. et Rupr.*

FRID. GRIEPENKERL, Dr., quinquies per hebd. diebus Lun. Mart. Merc. Jov. et Ven. h. VII-VIII *primam Theoriae oeconomicae partem* (*Agronomiam, Agriculturam, rationemque plantarum ad oeconomiam per-*

tinentium colendarum) docebit; ter per hebd. h. X-XI tradet illam *Chemiae partem, quae circa agriculturam versatur. Excursiones* ad theoriam illustrandam spectantes instituet.

G. STAEDELER, Dr., tradet *Chemiam physiologicam* quater per hebdom. hora VIII-IX. *Exercitationes chemicas practicas cum medicinae studiosis* diebus Lunae, Martis et Mercurii horis III-V, *cum agriculturae studiosis* diebus Jovis et Veneris hora II-IV et die Saturni hora X-XII instituet.

THEODORUS MÜLLER, Dr., privatim *Elementa linguae anglosaxonicae* docebit, diebb. Lun. et Jov., hora II; *Grammaticam linguae anglicae* tradet, adjunctis exercitationibus practicis diebb. Lun. Mart., Jov. et Ven., hora VI. vespert. *Lectiones privatissimas* offert in *linguis anglica, italica, francogallica, hispanica.*

GUILIELMUS SEELIG, Dr., *Politiam oeconomicam* diebb. Lun. Mart. Jov. et Ven. hora VIII, *Artem financiariam* diebb. Lun. Mart. Jov. et Ven. hora III docebit, idem publice tradet *publicae securitatis tutandae scientiam (Polizeiwissenschaft)* diebb. Mart. et Ven. hora VII.

* * *

FRID. CAROL. LAPPE, Dr., Instituti Reg. veterinarii Director, tradet hora XI. *Chirurgiam atque Therapiam veterinariam specialem* sexies per hebd.; hora II. *materiam Medicam veterinariam* quater; hora III. *Medicinam veterinariam forensem* quater; hora X. *Exercitationes clinicas* sueto more continuabit.

W. HAVEMANN, rei equestris Magister, tam tirones quam provectiores *equis regendis* exercebit diebus Lunae Mercurii Jovis et Saturni horis VIII-XII. et II-IV.

* * *

ARN. WEHNER, Mus. Dir., *Harmonicen musicaeque artis theoriam* et *aestheticam*, additis exercitationibus practicis, horis postmeridianis commodis docebit. Praeterea operam suam jam exercitatis offert ad *artem clavicymbali organorumque* accuratius discendam, neque omittit ad *Societatem symphonicam* die Martis horis VI-VIII. vespert. et ad societatem, quae *Orchesterspielverein* vocatur, invitare.

H. M. MELFORD, Dr., publice, *La Numancia, Tragedia por Miquel de Cervantes, praemissa succincta historia tragoediae hispanicae,* Mercurii die h. II. exponet; privatim: *Grammaticam linguae anglicae* adjunctis exercitationibus practicis, sexies per hebd. h. V-VII. vesp. e libris suis, *Vereinfachte Engl. Sprachlehre, 1841; The English Reader,* Ed. IV. 1851; *et Goldsmith's dram. Works* (ex ed. s. 1846); *in anglice, gallice, ital. et hispan. scribendo et loquendo* quater p. hebd. h. II-III, e libris suis: *Phraseol. Handwörterb.* Leipzig 1852; *Manuel de la langue fr.*; *Handb. der Ital. Umgangsspr.* II. Ed. 1845; *Span. Bühnenstücke* (Moratin et Cienfuegos); *Synonymiam linguae angl. adj. exercitat. practicis* explanabit, duce libro suo: *Synonym. Handwörterb. der Engl. Spr.* 1841., ter per hebd. h. VIII-IX. mat. Praeterea privatis-

sime linguas *anglicam*, *francogallicam*, *italicam* et *hispanicam* docebit. *Exercitationes scribendi et loquendi* continuabit.

RECITATIONES PRIVATIM DOCENTIUM.

ORDINIS THEOLOGORUM.

FRIDERICUS AUGUSTUS HOLZHAUSEN, Phil. Dr. ac Theol. Lic., tradet: *Historiae ecclesiasticae universalis partem priorem*, *ab origine Ecclesiae usque ad Viclefum*, h. VIII; *Theologiam biblicam* h. XI; *Grammaticam hebraicam*, *adjuncta interpretatione locorum selectorum Jesaiae*, h. III. *Privatissima* offert.

A. GUIL. DIECKHOFF, Lic. theol., privatim *Vitam Domini nostri Jesu Christi* quinquies per hebdom. hora VII-VIII; gratis *Introductionem in libros symbolicos* d. Merc. hor. II-III. tradet; gratis *Controversias de coena Domini per tempus reformatorum motas* diebb. Lun. et Mart. hor. II-III. exponet. In societate theologico-symbolica *Catechismum Lutheri* interpretandum proponet.

JOANNES GERARDUS GUILIELMUS UHLHORN, Theol. Lic., privatim *Jesaiae vaticinia* quinquies per hebd. h. X-XI interpretabitur; gratis *Historiam ecclesiae hannoveranae* inde a tempore ecclesiae reformatae diebb. Jov. et Ven. h. II-III enarrabit.

E COLLEGIO REPETENTIUM.

HERM. MESSNER *Pauli et Joannis doctrinam* ter per hebd. dieb. Lun., Mart., Mercur. hora II-III gratis tradet.

ERNESTUS ELSTER *librum Salomonis qui Ecclesiastes vocatur* binis per hebdomadem scholis diebus Jovis et Veneris hora II-III. gratis interpretabitur.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

C. FRID. ROTHAMEL, Dr., *Jus ecclesiasticum* h. II tradet; *Pandectas* privatissime docebit; *Examinatoria generalia et specialia* more sueto instituet.

F. B. GREFE, Dr., tradet *Jus hannoveranum* sexies per hebd. h. I-II.

E. F. ROESSLER tradet: *Historiam juris germanici* quater per hebdomadem, hora II-III, ter per hebd. *Historiam receptionis juris romani apud Germanos*; binis horis instituet *Collegium exegeticum fontium juris germanici imprimis Spec. saxon. et suevici.*

CAROL. BERNARD. HIERON. ESMARCH, Dr., privatim *Historiam juris romani* quinquies per hebd. hora X enarrabit; publice *juris civilis de possessione doctrinam* bis per hebd. horis definiendis delineabit. Pandectas aliasve juris disciplinas repetere cupientibus non deerit.

HILDEBR. BODEMEYER, Dr., *Historiam juris romani* quinquies

hebdom. hora X-XI docebit; *primum Gaji commentarium* binis scholis hora II gratis interpretabitur; *ordinem judiciorum privatorum* binis scholis hora II gratis enarrabit.

RUDOLPHUS ELVERS, Dr., docebit *Institutiones juris romani* quinquies hora XI-XII; *selectas leges Digestorum*, ut in fontes juris romani introducat, secundum ordinem in Pandectarum disciplinis observatum *interpretabitur interpretandasque proponet* ternis per hebdomadem diebus hora IV-V.

FRANCISCUS LÖHER, Dr., tradet *Jus borussicum civile* quater per hebdom. h. II-III (vel aliis horis magis commodis). Publice selecta *jur. borussici capita comparabit cum jure austriaco et francogallico* die Mercur. h. II-III.

ORDINIS MEDICORUM.

CH. F. E. STROMEYER, Dr., privatissime singulas *Chemiae theoreticae* partes nec non *Pharmaciam* docebit.

R. WIESE, Dr., *Materiam medicam* quater per hebdom. hora III-IV vel IV-V tradet experimentisque illustrabit. Theoriam *Auscultationis et Percussionis* quater per hebd. hora V-VI (vel aliis horis magis commodis) exponet cursusque exercitationum adjunget practicarum.

BERNARDUS SCHUCHARDT, Dr., hora VII-VIII matut. *Materiam medicam et artem formulas medicinales conscribendi* quater p. h. (ter p. h. mat. med. semel p. h. gratis art. form. med. conscrib.) docebit; publice hora VII-VIII matut. vel alia auditoribus commoda *Morbos infantum* bis p. h. demonstrabit; horis denique commodis *Cursus in exploratione physica, imprimis percussoria et auscultatoria, excolenda* offert.

C. F. LOHMEYER, Dr., hora matutina VII-VIII vel alia commoda quater per hebd. *de morbis cutaneis*, Merc. die hora VII *de vulneribus sclopetariis* publice leget.

ADOLPHUS WACHSMUTH, Dr., h. III-IV quinquies per hebd. *Pathologiam generalem* tradet; praeterea commilitonibus *Diagnostices physicae cursum practicum* in aegrotis nosocomii Ern.-Aug. privatissime instituendum offert.

L. A. SCHRADER, Dr., *Pathologiam et Therapiam generalem* experimentis illustratam quinquies, *Diagnosticen chemicam et microscopicam* una cum demonstrationibus exercitationibusque practicis ter per hebd. tradet. Publice *Toxicologiam*, cui experimenta adjungentur, et medicinae et pharmaciae studiosis binis scholis exponet. Scholarum horae e tabulis publicis indicabuntur.

RUDOLPHUS GIESELER, Dr., *Ophthalmologiam* tradet quinquies per hebd. Cursum *operationum ad oculos spectantium* instituet; *Auscultationis usum in arte obstetricia* cum exercitationibus in gravidis tractabit binis per hebd. horis.

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

JUL. TITTMANN, Dr., Ord. Phil. Assessor, *Historiam literarum*

elegantiorum apud Germanos docebit h. XI; *Fabulas Germanorum heroicas* publice tradet h. X die Merc.

LUDOVICUS LANGE, Dr., Ord. Philos. Assessor, privatim *Grammaticae comparativae linguarum graecae et latinae* partem priorem tradet quinquies per hebdomadem hora VIII; privatissime sed gratis *Elementa grammaticae linguae sanscritae* docebit binis lectionibus hora audituris commoda.

S. LANTZIUS-BENINGA, Dr., Ord. Philos. Assessor, sexies per hebd. hora VII aut alia hora commoda *Botanicen generalem et specialem*, quinquies per hebd. hora VIII *Botanicen medicam* tradet. Excursiones et demonstrationes botanicas adjunctis exercitationibus bot. practicis instituet. *Privatissimas scholas de re botanica* offert.

TH. WÜSTENFELD, Dr., Ord. Philos. Assessor, *Historiam Italiae et Germaniae sub imperatoribus stirpis Hohenstaufícae* dieb. Mercur. et Sat. h. X-XI publice leget.

CHR. FOCKE, Dr., de variis *Matheseos purae et practicae* partibus scholas habebit horis diebusque commodis.

ALB. LION, Dr., h. XI-XII. *Plutarchi* vitas selectas, h. I-II. *Ciceronis* libb. de Officiis interpretabitur. Privatissime linguas vett. et recentt. docebit.

G. QUINTUS ICILIUS, Dr. ph., *Geographiam mathematicam et physicam* hora XI quater per hebd. docebit; privatissime sed gratis *Exercitationes instituendi et computandi observationes meteorologicas* moderabitur.

TH. FINCK, Dr., privatim *Historiam Graeciae veteris* quaternis lectionibus exponet, hora III aut alia hora magis commoda. Privatissime varias *historiae et doctrinae politicae* partes docebit.

H. LIMPRICHT, Dr., in laboratorio academico XXIV horis per hebd. *Praxin chemicam* docebit; hora mat. VII-VIII ter per hebd. *Chemiam analyticam*, bis per hebdom. hora mat. VII-VIII „Ueber Maassanalyse" tradet.

* * *

Musicam delineandique artem, nec non cultissimorum Europae populorum *linguas ac literas* tradent etiam alii viri intelligentes doctique, iique lectionum suarum rationem tempusque loco solito indicabunt. *Saltationem armorumque tractandorum artem* stipendiis regiis auctorati Magistri docent.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DESCRIPTAE:

Hora:	THEOLOGICAE.	JURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
6–7			Artem obstetriciam (4) *Siebold.*	Pharmaciam (6) *Wiggers.*
7–8	Religionis philosophiam (4) *Ehrenfeuchter.* Christi vitam (5) *Dieckhoff.*	Jus german. privat. (6) *Kraut* et *Wolff.* Jus mercat. (5) *Thöl.*	Histor. art. obstetr. (1) *Siebold.* Nosol. Diagn. Pathol. spec. P. II. (5) *Fuchs.* Botan. gener. et spec. *Grisebach.* Mater. medic. (3) Formul. conscr. (1) Infant. morbos (2) *Schuchardt.* Morb. cut. (4) et sclopet. (1) *Lohmeyer.*	Botan. gener. et spec. (6) *Bartling* et *Lantzius-Beninga.* Antiq. graecas (6) *Hermann.* Calc. diff. integr. (5) *Stern.* Theoriae oeconom. P. I. (5) *Griepenkerl.* Secur. publ. scient. (2) *Seelig.* Chemiam analyt. (5) *Limpricht.*
8–9	Histor. eccles. P. II. (6) *Gieseler.* Histor. eccles. P. I. (6) *Duncker* et *Holzhausen.*	Heredit. doctrin. (5) *Francke.*	Anat. et Embryol. compar. (4) *Wagner.* Clinicen chirurg. (6) *Baum.* Botan. medic. (4) *Grisebach.*	Geognosiam (6) *Hausmann.* Botan. medic. (5) *Bartling* et *Lantzius-Beninga.* Statisticam (4) *Hanssen.* Histor. med. aev. (4) et Introd. hist. germ. (2) *Waitz.* Geograph. Americae (4) et Statist. hannov. (2) *Wappäus.* Arithm. sublim. (4) *Stern.* Chemiam physiol. (4) *Staedeler.* Polit. oecon. (4) *Seelig.* Synonym. anglicam (3) *Melford.* Gramm. gr. et latin. P. I. (5) *Lange.*
9–10	Epist. ad Corinth. et Hebr. (6) *Lücke.* Epist. ad Roman. (4) et Orat. montanam (1) *Dorner.* Evang. Joann. (6) *Matthäi.* Epist. ad Galat. et Roman. (6) *Lünemann*	Pandectas (6) *Ribbentrop.* Jus german. privat. (6) *Kraut* et *Wolff.*	Art. obstetr. (4) *Osiander.* Chemiam (6) *Wöhler.* Exerc. microscop. (3) *Förster.*	Trigonom. et Stereom. *Ulrich.* Numism. antiqu. (1) *Hermann.* Livi orationes (5) *Leutsch.* Aeschyl. Eumenid. (3) *Wieseler.*
10–11	Psalmos (5) *Redepenning.* Seminar. homilet. (1) *Redepenning* et *Ehrenfeuchter.* Histor. dogmat. med. aev. (1) *Duncker.* Jesaiam (5) *Uhlhorn.*	Process. crimin. theoriam (5) *Zachariae.* Jus crimin. (6) *Herrmann.* Histor. jur. romani (6) *Hartmann*, *Esmarch*, *Bodemeyer.*	Praxin medicam (6) *Conradi.* Physiologiam *Berthold* et *Wagner.* Exerc. microscop. (3) *Förster.* Clinic. veterinar. *Lappe.*	Geodaes. sublim. *Gauss.* Technologiam (4) *Hausmann.* Jesaiam (6) *Ewald.* Numism. antiqu. (1) *Hermann.* Sophoclis Trachinias (5) *Schneidewin.* Jobum et Cant. canticorum (5) *Bertheau.* Mineralogiam (5) *Waltershausen.* Archaeologiam (5) *Wieseler.* Chemiam agric. (3) *Griepenkerl.* Exerc. chem. agric. (1) *Staedeler.* Fab. heroic. German. (1) *Tittmann.* Histor. Hohenstauf. (2) *Th. Wüstenfeld.*
11–12	Ethicam (6) *Lücke.* Isagogen in N. Test. (5) *Reiche.* Dogmaticam (5) *Redepenning.* Seminar. homilet. (1) *Redepenning* et *Ehrenfeuchter.* Theol. biblicam (5) *Holzhausen.*	Pandectas (6) *Ribbentrop.* Institutiones (5) *Francke* et *Elvers.* Jus public. Germ. (6) *Zachariae.* Processuale practicum (4) *Briegleb.* Juris philos. (4) et sel. jur. crimin. capita (2) *Herrmann.* Process. civil. theoriam (6) *Hartmann.*	Praxin medicam (6) *Fuchs.* Osteol. et Syndesmol. (3) *Henle.* Chirurg. et Therap. veterin. (6) *Lappe.*	Botan. oecon. (4) *Bartling.* Seminarium philol. (5) *Hermann*, *Schneidewin*, *Leutsch.* Sem. paedag. (2) *Hermann.* Hist. brunsv. luneb. (4) *Havemann.* Vulcanologiam (4) *Waltershausen.* Monum. antiq. expl. (1) *Wieseler.* Exerc. chem. agric. (1) *Staedeler.* Hist. liter. eleg. Germ. *Tittmann.* Plut. vitas *Lion.* Geograph. math. et phys. (4) *Quintus-Icilius.*
1–2	Catech. praec. (4) et exercit. (2) *Rettig.* Orat. Domini (1) *Matthaei.*	Jus hannoveranum (6) *Grefe.*	Anatom. spec. P. II. (6) *Henle.*	Linguam arabicam (2) *Bertheau.* Opticen (4) *Listing.* Walth. ab Aviario (2) *W. Müller.* Sanscrit. gramm. (3) et chrestom. (2) *Benfey.* Cicer. Offic. *Lion.*

Hora:	THEOLOGICAE.	JURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
2–3	Encyclopaediam (5) *Reiche*. Biblicam theologiam (5) *Redepenning*. Schol. infer. administr. (4) *Ehrenfeuchter*. Isag. in N. T. (5) *Lünemann*. Introd. in libros symb. (1) et Contr. de coena Domini (2) *Dieckhoff*. Histor. eccl. hannov. (2) *Uhlhorn*. Pauli et Joann. doctr. (3) *Messner*. Eccles. (2) *Elster*.	Jus eccles. *Rothamel*. Histor. jur. german. (4) *Roessler*. Gaji comm. I. (2) et Judic. privat. ordin. (2) *Bodemeyer*. Jus borussicum (4) *Löher*.	Zoologiam *Berthold*. Chirurgiae P. I. (6) *Baum*. Mater. medic. veter. (4) *Lappe*.	Mechan. sublim. (4) et Exerc. math. (1) *Ulrich*. Linguam aethiop. *Ewald*. Plauti Bacchid. et Pseudul. (5) *Schneidewin*. Prophet. hist. et theol. (4) *Bertheau*. Meteorol. et Climatol. (2) et Dioptricam (1) *Listing*. Diplom. et Palaeogr. (3) *W. Müller*. Lingu. indogerm. indol. (4) *Benfey*. Pharmacognosiam (4) *Wiggers*. Exerc. chem. agric. (2) *Staedeler*. Anglosaxon. elementa (2) *Th. Müller*. Hispan. tragoed. (1) *Melford*.
3–4	Apocalypsin (3) *Reiche*. Theol. pract. P. II. (5) *Ehrenfeuchter*. Gramm. hebr. et Jesaiam (5) *Holzhausen*.	Encyclop. (4) *Zachariae*. Process. civil. hannov. *Wolff*.	Remed. effect. et formul. medic. (5) *Marx*. Clinic. obstetr. et operat. (6) *Siebold*. Demonstr. zoolog. (2) *Berthold*. Anatom. gen. (3) *Henle*. Anatom. pathol. (4) *Förster*. Medic. veterin. forens. (4) *Lappe*. Mater. medic. (4) *Wiese*. Pathol. gen. (5) *Wachsmuth*.	Script. persic. et arabic. *Ewald*. Physic. exp. P. I. (3) et Observ. phys. *Weber*. Logicen et Metaph. (5) *Ritter*. Oeconom. nation. (4) *Hanssen*. Metricam (5) *Leutsch*. Hist. Europ. regn. (4) *Havemann*. Metaphysicam (4) *Lotze*. Art. christian. init. (1) *Wieseler*. Grammat. theotisc. (4) *W. Müller*. Exerc. chem. agric. (2) et medic. (3) *Staedeler*. Financ. (4) *Seelig*. Hist. Graec. veter. (4) *Finck*.
4–5	Symbolicam (3) *Dorner*. Histor. eccles. P. III. (5) *Duncker*.	Civile practicum (2) *Thöl*. Process. practicum (5) *Wolff*. Digest. sel. leg. interpr. (3) *Elvers*.	Isagogen (1) *Conradi*. Histor. medic. liter. (3) *Marx*. Ocul. aur. morb. (4) et Oss. fract. lux. (2) *Baum*. Pathol. et Therap. gen. (4) *Herbst*.	Physic. exp. P. I. (3) et Observ. phys. *Weber*. Cicer. Epist. famil. (4) *Hermann*. Psychologiam (4) *Bohtz*. Histor. Germ. saec. XVIII. (4) *Waitz*. Exerc. chem. medic. (3) *Staedeler*.
5–6	Dogmaticam (5) *Gieseler*. Exerc. catecheticas (2) *Ehrenfeuchter*.	Servit. et pignor. (3) *Ribbentrop*. Relatorium (3) *Briegleb* et *Wolff*. Civile practicum (2) *Thöl*.	Therap. gen. (1) et Pathol. et Therap. spec. (5) *Conradi*. Nosol. Diagn. Pathol. spec. P. II. (4) *Fuchs*. Auscult. et Percuss. (4) *Wiese*.	Geometr. practic. (3) *Ulrich*. Histor. philos. antiqu. (5) *Ritter*. Pausaniam (5) *Hermann*. Histor. German. literar. (4) *Bohtz*. Hist. philos. post Kant. (4) *Lotze*. Schol. gall. *César*. Grammat. anglicam (6) *Melford*.
6–7				Geometr. practic. (3) *Ulrich*. Schol. gall. *César*. Grammat. anglicam (4) *Th. Müller* et *Melford*. Societ. symphon. (1) *Wehner*.
Hora nota vel post indicanda.	Societ. theol. *Lücke*. Christi vitam *Matthaei*. Privatissima *Holzhausen*. Catech. Luther. *Dieckhoff*.	Pandectas et Examinatoria *Rothamel*. Histor. jur. rom. apud Germ. et Specul. sax. et suev. *Roessler*. Possess. doctr. et Repetitoria *Esmarch*.	Praxin chemicam *Wöhler*. Exerc. physiol. *Wagner*, chirurg. *Baum*, botan. *Grisebach*. Anatom. Physiol. Pathol. animal. domest. (5) *Herbst*. Auscult. et Percuss. (4), Fasc. vinct. chir. (3), Exerc. microsc. *Krämer*. Chemiam *Stromeyer*. Explor. physic. *Schuchardt* et *Wachsmuth*. Pathol. et Therap. gen. (5), Diagnost. (3), Toxicol. (2) *Schrader*. Ophthalmol. (5) et Auscult. obstetr. (2) *Gieseler*.	Eurip. Phoen. *Mitscherlich*. Astron. pract. *Gauss*. Demonstr. mineral. *Hausmann*. Hist. liter. (5) *Hoeck*. Theol. biblicam *Ewald*. Excurs. et Demonstr. botan. *Bartling* et *Lantzius-Beninga*. Societ. philol. *Schneidewin* et *Wieseler*; exeget. *Bertheau*, theotisc. *W. Müller*. Exerc. miner. *Waltershausen*, physic. *Listing*. Histor. liter. Francogall. (4) *César*. Script. arab. select. *F. Wüstenfeld*. Zendavestam *Benfey*. Fract. contin. propr. *Stern*. Privatissima lingu. recent. *Th. Müller* et *Melford*. Sanscrit. elem. (2) *Lange*. Mathes. *Focke*. Privatissima *Lion* et *Finck*. Exerc. meteor. *Quintus-Icilius*. Praxin chemicam (24) *Limpricht*.